

etiam silentio potius comprobari quam presumptione¹ aliqua tangendo preiudicari. Quicquid namque in eo ordinatum sanctitas reppererit² vestra, nisi negligentia rursus aut incuria depravatum fuerit, nihil reor repperiri posse quod non in Dei laudibus aut auctoritate sicut premissum est sacra, aut sanctorum patrum dictis compositum, aut multorum usu pia devotione longo iam tempore vindicatum, decenter assumi potest. Quia autem sicut premisimus nostris vestrisque cantoribus hoc opus oportunum esse iudicavimus, oportet ut sive ab his sive ab illis summo opere observetur, quatinus versus convenienter positi atque ordinati secundum artis cantilenę modum honeste canantur et in responsoriorum convenientibus locis aptentur. Quapropter necesse est, qui ad melodię artis normam decoremque compositi sunt, et cantoribus magnum documentum et ut ita dixerim quendam ducatum in eadem arte prebent, bene intelligantur; ut his bene notis nullatenus in quoquam ab eiusdem artis auctoritate oberretur. Sancta deus Trinitas te mei memorem in sua sancta militia prolixo tempore conservet, honorabiliter venerande et venerabiliter honorande pater.

1) 'sumptione' cod.

2) 'reppererit' cod.
